



Universitätsbibliothek Paderborn

Rev. P. Francisci Josephi à Rodt Capuccini Anterioris Austriæ Provinciæ. Opus ...

Planctvs Ecclesiæ Et Animæ - Super Caput Primum Lamentationum
Jeremiæ Prophetæ. Allegorice, Et Moraliter Expositus, & Distributus In
Discursus LII. Concionatorios Quadragesimales ... ; Scilicet Liber Vitæ, Et
Excessvs Amoris ...

Rodt, Franz Joseph von

Campoduni, 1680

Planctus Christi Patientis, ac Matris Virginis Compatientis. Sive Conciones
duæ de Paßione Domini, &c. Ad Lectorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52659)



PLANCTUS Christi Patientis, ac Matris Virginis Compatientis.

Sive Conciones duae de Passione Domini, &c.

Ad Lectorem.

Planctui Ecclesiae & Animae, apponere planctum Christi patientis, ac Dolorosae Matris, consonum judicavi, in quo tanquam libro amarissimo, ac simul divinis mysteriis refertissimo, Lamentationes lugubres imprefae fuerunt, ut me ito illis Ezechielis verbis uti possim: *Et vidi, & ecce manus missa ad me, in qua erat involutus liber... qui erat scriptus intus, & foris, & scriptae erant in eo, lamentationes, & carmen, &c. v.*

Ezech. 2. 9.
Apoc. 5. 1.

Norat autem hic doctissimus & insignis sacrarum literarum Expositor Cornelius, S. Joannem in suis Apocalypsicis visionibus saepe ad visiones Danielis, & Ezechielis alluisse, & specialiter in capite quinto, ubi vidisse se attestatur *super thronum, Librum scriptum intus, & foris, signatum sigil-*

lis septem; Per hunc librum, supra thronum positum, intelligit Doctor meus Seraphicus, Christum patientem in throno Crucis positum, septem sigillis mirabiliter signatum. Hunc igitur Librum Vitae, & Lamentationum spectandum & legendum Orbi exponam, & imprimis, ductore Seraphico meo Bonaventura, Sigilla septem mysteriosa aperiam, quae licet alta, & ad captum simplicium sublimiora videantur, ita tamen cum in o Seraphico simpliciter aperiam, ut non tantum a legentibus, sed etiam quibusvis simplicibus depraedicanda audituris facile capi, & penetrari valeant. Hunc ergo librum accipe amice Lector, & fac secundum exemplar, quod tibi monstratum est, simulque Deum pro me exora, ut non dicam tantum, & scribam, sed & faciam.

LIBER